

2678 Dicendum est de eius villi venditione; venditus fuit a Iuda causa cupiditatis, et avaritiae; emptus fuit a sacerdotibus causa dolositatis, et invidiae. Propter primum dicitur in Psal.: *Qui cedebat panes meos, magnificentiam super me supplantationem*. Propter secundum dicitur Sap. II: *Dixerunt iniqui, circumveniamus inquam, etc.*, et subditur: *Haec cogitaverunt et erraverunt; excaecavit enim eos malitia eorum*.

2679 Prædicta autem venditio fuit denariis triginta argenteis, quod prædictum est Zach. XI: *Appendunt mercadem meam triginta argenteis*; figuratum est hoc, Gen. XXXVII, in Ioseph, qui venditus est a fratribus in Aegypto viginti argenteis, cuius venditio figurabat venditionem Christi; unde dicit Hieronymus, quod Ioseph non fuit venditus viginti aureis, ut quidam putant, sed viginti argenteis, ne pretiosius venderetur servus, quam dominus. Ratio huius villi, scilicet, quod Iudaei tantum dederunt, quantum ipse Christus fuit conversatus cum eis, scilicet, triginta annis; et ideo triginta denarios dederunt traditori, sicut triginta annos putabant se offensos fuisse ab eo. Iudas autem huius pretii fuit contentus, quia ipse fuerat indignatus de unguento fuso super Christum in convivio a Magdalena, quando dixit: *Potuit unguentum istud vendi denariis mille, et plusquam trecentis denariis, et dari egenis*; de quibus denariis ipse decimam partem erat futurus, quae faciebat triginta, et ipse habitis triginta denariis fuit contentus non quod ipse tantum peterit, quia tanquam vile mancipium tradens, totum pretium posuit in voluntate ementium, dicens: *Quid vultis mihi dare, et ego cum vobis tradam? et ipsi constituerunt ei triginta argenteos*.

2680 Dicendum est de eius turpi irrisione, quae primo fuit in captione, quando coeperunt eum, de quo dicitur Psal.: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, et Thren. IV: *Spiritus oris nostri, (Christus Dominus) captus est in peccatis nostris, cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus*. Nam ipse Christus est *spiritus oris nostri* propter naturae unionem, eo quod spiritus oris ex coniunctione duorum laborum formatur: *Captus est in peccatis nostris*, id est, propter peccata nostra; quia Dominus posuit in eo *iniquitatem omnium nostrorum*, ut dicit Isaias: *sed in umbra eius vivimus*, hoc est, sub eius protectione in gratia, vel in gemitibus, et propriorum populorum et angelorum in gloria.

2681 Secunda irrisio fuit in percussione quia alapis percutiebant faciem eius, et conspuerant; unde Is. I: *Corpus meum dedit percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*; nam corpus suum

dedit percutientibus, quia nihil fuit in corpore, quod non flagellaretur; genas suas vellentibus, quia quamvis in Evangelio non legatur, sancti tamen dicunt, quod pilos barbae evehant, et percutiebant etiam arundine, unde Mich. cap. V: *In virga percussit maxillam iudicis Israhel*.

Tertia irrisio fuit in indultione; ad illudendum enim induerunt eum in domo Herodis veste alba, et in domo Pilati indumento purpureo; ideo in Cant. dicitur: *Dilectus meus candidus, et rubicundus*.

Quarta irrisio fuit spinarum in coronatione; unde Cant. III: *Egredimini filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, id est, Iudaeorum synagoga, quae facta est de matre noverca.

Videndum est de discipulorum derelictione; omnes enim dereliquerunt eum; de quo praedixit, Psal.: *Elongasti a me amicum, et proximum; et viros meos a miseria*; et Is. LXIII: *Quare rubrum est vestimentum tuum? quia torcular calcei ego solus, et de gentibus non est vir mecum*. Hoc autem figuratum fuit Levit. XVI, ubi dicitur: *Nihil sis in tabernaculo quam Pontifex, ingreditur tabernaculum, ut orat pro se, pro domo sua, et universo coetu filiorum Israhel*. Vere nullus fuit secum, ut dictum est; et oravit primo pro se, quum dixit: *Pater, clarifica Filium tuum*; pro domo sua, id est, pro his, qui secum erant familiares, ut fuerunt Apostoli, quum dixit: *Pater, sancte serva eos in nomine tuo*; postremo pro universo coetu filiorum Israhel, id est, pro omnibus credentibus, quando ait: *Non pro his tantum, sed pro omnibus qui credenturi sunt in me*.

De crucis formatione; quatuor enim brachia, vel quatuor partes crux habuit, scilicet, latitudinem, altitudinem, longitudinem, et profunditatem. Et hoc fuit congruum, ut ait Augustinus, quia ipse crucifixus Dei Filius habuit latam dilectionem extendentem se usque ad inimicos; habet longam dilectionem, sive directionem, quia est *Alpha, et Omega*, principium, et finis omnium; habet altam dominationem, quia: *In eius nomine omne genu flexitur*, videlicet, terrestrium hominum, coelestium Angelorum, et infernorum daemonum; et habet profundam cognitionem, quia: *In eo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi*. De ipsa cruce praedixit propheta Habacuc, cap. III: *Corvina, scilicet, crucis, in manibus eius, ubi abscondita est fortitudo eius*; quia tunc vici adversarium. De ipsa figura est III Reg. XVII, ubi legitur quod mulier illa quae suscepit Eliam extra portam, colligebat duo ligna ut coqueret panem; mulier illa fuit Iudaeorum synagoga, quae extra portam Ierusalem ad litteram super duo ligna, scilicet, stipite, et transversali, coxit panem vitae, qui

de coelo descendit; Ierem. X: *Venite, mittamus lignum in panem eius*.

2686 Videndum est de poenarum impositione, quae fuerunt multae. Primo in vestium expolatione, et nudatione; Iosel. I: *Nudatus spoliavit eum, scilicet, Christi carnam, et proiecit*; et Is. LIII: *Nos reputavimus eum, quasi leprosum*; quae vestimenta dividerunt inter se, sicut praedixit Psal.: *Diviserunt sibi vestimenta mea*. Haec nudatio figurata est in Noe; in ebriatione nudus iacuit in tabernaculo; quia Christus ebrius amore, nudus in cruce pendit, quem Cham, id est, populus Iudaeus derisit.

2687 Secunda poena fuit in manuum et pedum perforatione; quia foderunt manus suas, de quo Psal.: *Foderunt manus meas, et pedes meos*; et Zachariae dicitur: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant, id est, diligere debebant, me*.

2688 Tertia in lateris aperitione, de quo manavit sanguis, et aqua; hoc est ostium quod praecipit Dominus fieri ex latere dextero in arca Noe (Gen. VI). Haec est lapis a Moysse virga percussus, de quo fluxerunt aquae largissimae (Exod. XVII).

2689 Quarta poena in fallis, et acetii potatione, de quo Psal.: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me acetum, et Deut. XI: Vinum eorum fel draconum, etc.*

2690 Videndum est de signorum apparitione. Et primum fuit solis obscuratio de qua Amos: *Occidet sol in meridie, et tenebrascere faciam terram in die luminis*; secundum fuit veli scissio, quae significabat sacrae Scripturae revelationem; tertium petrarum scissio, quae significabat quod corda dura, et lapidea erant mollificanda; quartum sepulcrorum aperitio, quae significabat quod mortui revocabantur ad vitam; quintum, et ultimum, terrae motus, de quo Hilarius dicit, quod significabat illum mori, quem recipere capax terra non erat, unde Psal.: *Terra tremuit, et quiescit, dum resurgeret in iudicio Dominus, quasi dicat, quum Deus, scilicet, Christus exurgeret in cruce ad iudicium daemoneum, et liberationem sanctorum Patrum*; de quo iudicio dicit Psal.: *Fecisti iudicium meum, et celsam meam sedens super thronum, qui iudicis insubliam*; dicit, *terra tremuit, et quiescit*, scilicet, per fidei fundamentum.

2691 Haec omnia, quae dicta sunt, possunt assignari in hodierno Evangelio de Passione. Nam primo de venditione, ibi: *Et Iudas Iscariotes unus de duodecim, etc.* De irrisione, ibi: *Aitque eo loquente*. Et primo de turpi captione, ibi: *Tantum ad introitum, etc.* Secundo de percussione, ibi: *Et coeperunt quidam conspuere in eum, etc.* Tertio de indultione, ibi: *Induit ei purpuram*. Quarto de coronatione, ibi: *Plectentes ei coronam spinarum*. Quinto de

discipulorum derelictione, ibi: *Et discipuli derelinquentes eum, omnes fugerunt*. Sexto de crucifixione, ibi: *Et educerunt eum ut crucifigerent illum*. Septimo de poenarum impositione, ibi: *Et educunt eum in Golgotha, etc.*

FERIA SECUNDA MAIORIS HEBDOMADAE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

IOANN. XII, 1-9.

ANTE sex dies Paschae venit Iesus Bethaniam, ubi

1. Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.

2. Fecerunt autem ei coenam ibi; et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti.

4. Dixit ergo Iesus ad discipulos eius, Iudas Iscariotes, qui erat cum traditurus:

5. Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, et datum est egenis?

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis peritmet ad eum, sed quia fur erat, et oculos habens, ea quae mittebantur, portabat.

7. Dixit ergo Iesus: Sinite illum, ut in diem sepulturae meae servet illud.

8. Pauperes enim semper habebis vobiscum: me autem non semper habebis.

9. Cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est: et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

Homilia S. Augustini Episcopi. IN EVANG. IOANN. TRACT. 50.

2692 **I**ESUS ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Iesus. Fecerunt autem ei ibi coenam, et Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus (IOANN. XII, 1, 2). Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus: vivebat, loquebatur, epulabatur: veritas ostendebatur, infidelitas Iudaeorum confundebatur. Discumbebat ergo Dominus cum Lazaro et ceteris, ministrabat Martha una ex sororibus Lazari.

2693 Maria vero, altera soror Lazari, accepit libram unguenti nardi pistici pre-

tiōsi, unxit pedes Iesu, et extersit capillis suis pedes eius, et domus impleta est ex odore unguenti (Ibid. 3). Factum audivimus, mysterium requiramus. Quaecumque anima fidelis vis esse, cum Maria unge pedes Domini pretioso unguento. Unguentum illud iustitia fuit, ideo libra fuit: erat autem unguentum nardi pistici pretiosi. Quod ait, *pistici*, locum aliquem credere debemus, unde hoc erat unguentum pretiosum: nec tamen hoc vacat, et sacramento optime consonat. Ἰσθη: graece, fides dicitur. Quaerebas operari iustitiam: Iustus ex fide vivit. Unge pedes Iesu; bene vivendo dominica sectare vestigia. Capillis terge: si habes superflua, da pauperibus, et Domini pedes persisti: capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria. Forte in terra Domini pedes indigent. De quibus enim nisi de membris suis in fine dicturus est: *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* (MATTH. XXV, 40). Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsecuti estis.

²⁶⁹⁴ *Domus autem impleta est odore*; mundus impletus est fama bona: nam odor bonus, fama bona est. Qui male vivunt et christiani vocantur, iniuriam Christo faciunt; de qualibus dictum est, quod per eos *nomen Domini blasphematur* (ROM. II, 24). Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Domini laudatur. Audi Apostolum: *Christi bonus odor sumus*, inquit, *in omni loco* (II COR. II, 15). Dicitur et in Canticis canticorum: *Unguentum effusum nomen tuum* (CANTIC. I, 2). Ad Apostolum revoca intentionem: *Christi*, inquit, *bonus odor sumus in omni loco, et in his qui salvi sunt, et in his qui pereunt: aliis sumus odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem: et ad haec quis idoneus?* Occasionem nobis

praebet praesens lectio sancti Evangelii de odore isto ita loqui, ut et a nobis sufficienter dicatur, et a vobis diligenter audiatur, Apostolo ipso ita dicente: *Et ad haec quis idoneus?* (II COR. II, 16). Ergo ut inde nos conemur loqui, numquid idonei sumus, aut vos audire haec idonei estis? Nos quidem idonei non sumus; sed idoneus est ille qui per nos dignetur dicere quod vobis prosit audire. Ecce Apostolus bonus odor est, sicut dicit ipse; sed ipse bonus odor aliis est odor vitae in vitam, aliis autem odor mortis in mortem; tamen bonus odor. Numquid enim ait: Aliis sumus bonus odor ad vitam, aliis malus odor ad mortem? Bonum odorem se dixit, non malum; et eundem bonum odorem aliis ad vitam dixit, aliis ad mortem. Felices qui bono odore vivunt: quid autem infelicibus illis qui bono odore moriuntur?

²⁶⁹⁵ Et quis est, ait aliquis, quem bonus odor occidit? Hoc est quod ait Apostolus: *Et ad haec quis idoneus?* Quomodo ea facit Deus miris modis, ut bono odore et boni vivant et mali moriantur, quomodo sit quantum Dominus inspirare dignatur (nam fortasse tibi lateat altior intellectus, qui a me non potest penetrari); tamen quousque penetrare potui, vobis non debet denegari. Paulum apostolum bene agentem, bene viventem, iustitiam verbo praedicantem, opere demonstrantem, doctorem mirabilem, fidelem dispensatorem, fama usque quaque disseminabat: quidam diligebant, quidam invidabant. Nam ipse quodam loco ait de quibusdam, quod non caste, sed per invidiam Christum annuntiarent: *Existimantes*, inquit, *tribulationem suscitare vinculis meis* (PHILIPP. I, 17, 18). Sed quid ait? Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur. Annuntiant qui me amant, annuntiant qui

mihī invident; illi bono odore vivunt, et illi bono odore moriuntur: tamen utrisque praedicantibus nomen Christi annuntietur, odore optimo mundus impletur. Amasti bene agentem, vixisti bono odore; invidisti bene agentem, mortuus es bono odore. Numquid quia mori voluisti, ideo odorem illum malum esse fecisti? Noli invidere, et non te occidet bonus odor.

²⁶⁹⁶ Denique audi et hic ex unguento isto, quomodo aliis erat odor bonus in vitam, aliis odor bonus in mortem. Posteaquam hoc fecit religiosa Maria ad Domini obsequium, continuo *unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui cum erat traditurus, dixit: Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, et datum est egenis?* (IOANN. XII, 4, 5.) Vac tibi, miser! bonus odor occidit te. Quare enim hoc dixerit, Evangelista sanctus aperuit. Putarem autem et nos, si mens ipsius nobis per Evangelium non proderetur, pauperum cura hoc illum dicere potuisse. Non ita est. Sed quid? Audi testem veracem: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum; sed quia fur erat, et loculos habens, et ea quae mittebantur portabat.* Portabat an exportabat? Sed

²⁶⁹⁷ Ecce audite quia Iudas iste non tunc perversus factus est, quando a Iudaeis corruptus Dominum tradidit. Plerique enim incuriosi Evangelii, existimant tunc perisse Iudam, quando accepta a Iudaeis pecuniam ut Dominum traderet. Non tunc perit: iam fur erat, et Dominum perditus sequebatur: quia non corde, sed corpore sequebatur. Duodenarium numerum apostolorum implebat, apostolicam beatitudinem non habebat, ad imaginem fuerat duodecimus: quo decedente et alio succedente, et suppleta est apostolica veritas, et numeri permansit integritas. Quid ergo voluit Dominus no-

ster Iesus Christus, fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus, ne corpus Christi dividamus? Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas: et, ne contemnas, fur et sacrilegus, non qualiscumque fur: fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti et peculatus (peculatus enim dicitur furtum de re publica, et non sic iudicatur furtum rei privatae quomodo publicae): quanto vehementius iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus furti non undecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudae perditio comparatur. Talis erat iste Iudas, et tamen cum sanctis discipulis undecim intrabat et exibat. Ad ipsam dominicam coenam pariter accessit: conversari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De uno pane et Petrus et Iudas accepit, et tamen quae pars fideli cum infideli? (II COR. VI, 15). Petrus enim accepit, ad vitam, Iudas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita et cibus bonus, bonos vivificat, malos mortificat. *Qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducet et bibet* (I COR. XI, 29): *iudicium sibi*, non tibi. Si *iudicium sibi*, non tibi; tolera malum bonus, ut venias ad praemia bonorum, ne mittaris in poenam malorum.

²⁶⁹⁸ Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos qui angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut eius Ecclesia fures patienter toleret? Sed ille qui consueverat de loculis pecuniam tollere, non dubitavit accepta pecunia ipsum Dominum vendere. Videamus quid ad ista Do-

paret. Peccatum ipsorum multum aggravatur ex modo; nam ipsi hoc egerunt falsos testes inducendo. *Math. xxv: Principes autem Sacerdotum, et omnes seniores, et omne Concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent. Et non invenerunt, quoniam multi falsi testes accessissent; novissime autem convenit duo falsi testes.* Pecunia discipulum eius corrumpebat, *Marc. xiv*, ubi dicitur, quod promiserunt Iudae pretium se daturus, Pilatum falsis persuasionibus, et allegationibus provocando, *Luc. xxii: Hinc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari, et Ioann. xvi: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; turbas persuadendo ut peteret Barabham dimitti, et cum crucifigi, Math. xxvi: Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabham dimitteret eis, Iesum vero perderet; auxilia pessima, et arma crudelissima contra ipsam invocando, et portando (Luc. xxiii). His omnibus, quia non bonum habuerunt, aggravatur eorum peccatum.*

2707 Aggravatur alia conditione, scilicet, Ubi, et in quo loco; circumstantia enim loci non parum gravat delictum; manus enim peccatum est hominem occidere in Ecclesia, et fornicari, et quaecumque alia delicta perpetrare, quam extra. Et ideo quia Iudaei in civitate Ierusalem haec fecerunt, quae erat civitas sancta ad divinum cultum dedicata, et ipsi locum orationis converterunt in speculacum latronum, Dei Filium occidendo de quo *Is. i: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? iustitia habitavit in ea, nunc autem hominibus.*

2708 Posset etiam hic alia conditio aggravans assignari, scilicet, Quando; quia in die azymorum, qua debebant vacare spiritalibus bonis, Deo gratias agere, quia eos liberavit de Aegypto tali die, et ipsi tali die Filium Dei occiderunt; *Psal: Retribuunt mihi mala pro bonis; et ideo divino iudicio non est civitas, et omnis eorum festivitas deleta est, festa reversa in luctum, sabbata in fletum, honores in improperium, infensa, odiosa, et abominabilia Deo, Is. i: Calendae vestras, et solemnitates vestras odisti anima mea.*

2709 Et ultimo plus omnibus aggravatur considerando Quid, scilicet, quid fecerunt; quia flagellaverunt, illuserunt, et dolorose in cruce inter duos latrones crucifixerunt. De hac in figura dicebat *Iob. xv: Aperuerunt super me ora sua, et exprobrauerunt percusserunt maxillam meam, et sabati sunt poenis meis; et Threni tertio: Factus sum in derisionem omni populo.*

¹ Confusa haec propositio videtur innare quod, licet modus non det esse rei, ponit tamen aliquid in re.

Haec omnia ponuntur in hodierna passione, 2710
quoniam non tali ordine ut diximus; nam primo ponitur quod ipsi in die festo et solemnitate haec omnia fecerunt, quam dicitur: *Appropinquabat dies festus Iudaeorum;* secundo quod hoc fecerunt, quia: *Principes sacerdotum et scribae;* tertio in quem fecerunt, quia in Iesum qui erat: *Filius Dei;* quarto quomodo haec fecerunt, quia: *Dolo, et nequitia, non iustitia;* quinto cur hoc fecerunt, quia, *propter invidiam,* quia plebes adhaerebat sibi; et ipsi timebant plebem; sexto quid fecerunt, quia *tenuerunt et occiderunt.*

Hic potest dividi totum Evangelium sive passio 2711
hodierna. Rogemus ergo Dominum ne simus nos ut Iudaei.

2712 *Ante diem festum Paschae (IOANN. xv).* Quia heri diximus vobis de malignitate auctorum passionis; hodie autem loquimur de bonitate patientis, quae in sex apparere potest. Primo in ardentissima charitate; secundo in fructuosissima communicabilitate; tertio in perfectissima operabilitate; quarto in profundissima humilitate; quinto in mirabilissima potestate; sexto in clarissima doctrinae veritate.

2713 Dico, quod Christi bonitas apparet in ardentissima charitate. Inter ceteras virtutes perfectior est charitas, ut probat Apostolus I Cor. xiii; unde Gregor. in hom.: Ut enim multi arboris rami ex una radice procedunt; sic multae virtutes ex una charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi permanserit in radice charitatis. Magna ergo virtus est; et si sine ea nullum bonum meritum est; ergo habens eam bonus et perfectus est. Sed Christus excellentissima fuit charitate plenus, Ioann. xv: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animum suum ponat pro amicis suis.* De charitate Christi dicit Augustinus ad Bonifacium: In tantum Christus nos amavit, ut, etc. mori pro nobis dignatus est, et manus eius, quae plurimas virtutes faciebant, clavus pro redemptione nostra affixae sunt; et ori melliflavo quo salutaris doctrina profluit, sed pro cibo impli porrexeerunt; et qui neminem laesit Iesus, et qui nullum maledixit, opprobria, et maledicta pro nobis pertulit. Haec omnia passus est, ut nobis vitam aeternam daret.

2714 Bonitas Christi apparet in fructuosissima communicabilitate; nam non solum pro nobis semel se obtulit ad immolandum; sed omni tempore se praebet sub specie panis, et vini ad manducandum; quod sacramentalis communicatio dicitur, quia Christus se totum nobis communicavit. Et possumus dicere quod praedictum sacramentum maxime est utile, et fructuosum in continentia nostrae reminiscendae, et ratione virtutis efficaciae; nam

est Christi, et totius Trinitatis contentivum; est Christi passionis nuntiativum; et est peccatorum nostrorum solutivum.

2715 Primo dico quod primum Sacramentum est tale, et fructuosum ratione continentiae, quia est Christus, et totius Trinitatis contentivum. Nam Sacramenti praesentia continet quantum ad corpus; quia virtute verborum transubstantiatur panis in corpus Christi; de... concomitantia continentiae continet Christum quantum ad animam, quia naturaliter anima concomitatur corpus; sed personali subsistentia continet Christi divinitatem; in illa enim persona omnis divinitas est, et fuit inseparabiliter copulata; et unitatis sententia continet totam Trinitatem, quia ibi est utique Christus Dei Filius qui cum Patre, et Spiritu sancto essentialiter est unus Deus. Tota ergo Trinitas in ipso corpore Christi est, quamvis nec caro Christi appareat esse; quod pulchre figuratum est Genes. xxvii, in Esau, et Iacob. vii. Nam Esau terrena significat, Iacob vero coelestia; Rebecca est Mater Ecclesiae; sacerdos; qui consecrat Eucharistiam; Ecclesia enim panem, et vinum Sacerdoti praebet consecrandum, sub quibus post consecrationem est hic Christus sed oculus, quia vestibus Esau Iacob indutus, id est, sub speciebus terrenis, ut est panis, et vinum, latet Iacob, scilicet, sanguis et corpus Christi verum, non nisi Esau apparet; et ait Isaac: *Manus quidem, manus Esau sunt,* quia sub accidentibus ipsarum rerum occultatur: *Vox autem Iacob est,* quia quamvis sensus, visus, vel tactus decipiatur, auditus tamen rem percipit, quum dicitur: *Hoc est corpus meum.*

2716 Secundo utile, et fructuosum ratione reminiscendae; in reminiscendia enim passionis Christi, cuius fructu liberati sumus, hoc sacramentum institutum est, et ideo est passionis nuntiativum. II Cor. xi: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* Et Luc. xxii, et Math.: *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Nam inter cetera, quae debent esse cordi nostro fixa, passio Christi est; ut sicut ipse passiones, et vulnera in suo corpore habuit, et eorum cicatrices non delentur, ita de corde nostro memoria deleri non debet; unde dicit Eusebius, et ponitur in decretis de consecrat. distinct. ii. Dignum erat ut coelester iugiter per mysterium quod solum offerebatur in pretium; ut quia quotidiana cernebat pro omnium salute redemptione, perpetua esset redemptoris oblatio, et peccatis illa victima viveret in memoria et semper esset in gratia. Hoc autem figuratum est in manna, quod pluit populo in deserto; de quo scribitur, quod in arca testamenti erat manna, et hoc ut illius cibi perpetua esset memoria; unde illud

manna istius sacramenti erat figura, qui datur a coelo; et: *Hic est panis qui de coelo descendit;* illud datum est populo in deserto, et istud datur in Ecclesia Christiana; illud in memoria conservatur in arca, et istud debet teneri mente, et memoria nostra, ut dicitur est, nostrae remissionis.

2717 Tertio dicitur Sacramentum est utile ratione efficaciae, quia est peccatorum nostrorum solutivum; nam ipsum dicitur Eucharistia; quod interpretatur bona gratia, et in peccatorum solutione cognoscitur. Unde Chrysost. super Lucam: Quod operatur in nobis hoc sacramentum, imaginem regiam, et nobilitatem animae non permittit macerare; profusus irrigans animam, magnam inspirat virtutem, fugat daemones, advocat Angelos, et Dominum Angelorum. De eo quidem sanctus Pater in vita patrum ait: Eucharistia respuit avartitiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat superbiam, continet linguam, composit morose, odit malitiam, et excludit invidiam. Ecce patet eius efficacia in peccatorum solutione.

2718 De hoc figura est Daniel. xii, ubi dicitur, quod in Babylone Daniel missus est in lacum leonum, ubi erant septem leones, ut devorarent eum. Tullius Angelus Domini Habacuc qui portabat prandium messoribus, et posuit eum super lacum, qui dedit Danieli cibum, qui confortatus, et liberatus est a leonibus et a carcere. Daniel quaevis fidelis anima dici potest, quae in hoc mundo, quasi in Babylone, quae interpretatur confusio, est in carcere corporis, ubi parati sunt septem leones, id est, septem principalia vitia; sed Habacuc Christus est, qui, portat prandium messoribus, id est, sanctis in vita aeterna, ubi reooligunt, quae hic seminaverunt, quia iste est panis Angelorum, quem manducat homo, quo cibo liberatur a septem leonibus, et a carcere corporis.

2719 Diocubatur, quod bonitas Christi apparet in perfectissima operabilitate, quia: *Dei perfecta sunt opera;* *Psal. et Gen. i: Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.*

2720 Apparet in profundissima humilitate: *Humiliter semetipsum factus obediens.* In mirabilissima potestate: *Dominus fortis, et potens,* etc., *Psal. xiii: Domine Rex omnipotens,* etc.

2722 In clarissima doctrinae veritate, *Math. xxii: Magister, scimus quia verax es.*

2723 Haec sex habentur in hodierno Evangelio; primo charitas, quia: *Quum dilexisset suos;* secundo communicabilitas, quia: *Surrexit a coena;* tertio perfecta operabilitas, quia: *Deposuit vestimenta;* quarto humilitas, quia: *Coepit lavare pedes;* quinto potestas, quia: *Omnia dedit ei Pater in manus;* sexto doctrinae veritas, quia: *Magisterium.*

2724 De primo, quarto, quinto, et sexto procedendum est, sicut placet; sed de secundo, scilicet, quum *Surrexit a coena* observandum est, quod in illa coena corpus suum sub specie panis et vini communicavit omnibus; de tertio: *Deposuit vestimenta*, ubi dicit Glossa, quod a coena surrexit, lavit, vestimenta deposuit, linteum praccinxit, pelvim implevit, et non alteri impleri iussit; sed omnia operatus est, et omni studio talia fecit. Rogemus ergo Dominum, etc.

FERIA TERTIA
MAIORIS HEBDOMADAE

PASSIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
SECUNDUM MARCUM.
Marc. XIV, XV.

Expositio Venerabilis Bedae Presbyteri.

IN EVANG. MARC. CAP. 14, 15.

2725 **F**ERAT autem Pascha, et azyma post biduum, Pascha, quod Hebraice dicitur phase, non a passione ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur, eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec percussit eos, vel ipse Dominus praebens auxilium populo suo, desuper ambulaverit. Cuius sacramentum vocabuli sublimius exponens Evangelista Ioannes ait: *Ante diem autem festum Paschae sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Ubi manifeste declarat, ideo solemnitas huius diem per legem mystice transitum esse vocatum, quod agnus Dei qui peccata mundi tolleret, in eo, de hoc mundo sive ipse transiurus, sive nos salubri transitu, quasi de Aegypto esset servitute ducturus. Hoc sane iuxta veteris instrumenti Scripturam inter Pascha et Azyma distat, quod Pascha ipse solus dies appellatur, in quo Agnus occidebatur ad vesperam, hoc est quartadecima luna primi mensis. Quintadecima autem luna, quando egressum est de Aegypto, succedebat festivitas azymorum, quae

septem diebus, id est, usque ad vigesimum primum diem eiusdem mensis ad vesperam est statuta solemnitas. Verum Evangelistae indifferenter, et diem azymorum pro Pascha, et pro diebus azymorum Pascha ponere solent. Dicit enim Marcus: *Erat autem Pascha, et azyma post biduum*. Dicit Lucas: *Dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*. Item Ioannes, cum primo azymorum die, id est, quindecima luna res ageretur, ait: *Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha*. Quod ideo fecere, quia et Paschae dies in azymis panibus est celebrari praecipit, et nos quasi Pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo transire praecipimur. Uno quippe die agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur azymorum: quia Christus Iesus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne, per totum huius saeculi tempus (quod septem diebus agit) in azymis sinceritatis et veritatis praecipit esse vivendum: omnique semper nisu, nos desideria terrena quasi Aegypti retinacula fugere, et velut a mundana conversatione secretam solitudinem iter admonet subire virtutum.

Et quaerebant summi sacerdotes et scribae, quomodo eum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Qui debuerant Pascha vicino parare victimas, levigare templi parietes, pavimenta verere, vasa mundare, et secundum ritum legis purificari, ut esu agni digni fierent, congregantur ineuntes consilium quomodo occidant Dominum, non timentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat, sed caventes, ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi, et recumberet. Passurus pro

omni mundo, et universas nationes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania in domo obedientiae, quae quondam fuit Simonis leprosi: non quod leprosus illo tempore permaneret, sed quia ante leprosus, postea a Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. Nam et in catalogo apostolorum cum pristino vitio et officio Matthaeus publicanus appellatur, qui certe publicanus esse desierat. Quidam Simonem leprosum volunt intelligere partem populi quae crederit Domino, et ab eo curata sit. Simon quoque obediens dicitur.

2728 *Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastrum effudit super caput eius*. Mulier ista Maria erat Magdalenae soror Lazari, quem suscitavit Iesus a mortuis, ut Ioannes aperte commemorat, qui hoc etiam factum ante sex dies paschae testatur pridie quam asino sedens cum palmis et laude turbarum Ierosolymam veniret. Ipsa est autem, non alia, quae quondam (ut Lucas scribit) peccatrix adhuc, veniens pedes Domini lacrymis poenitentiae rigavit, et unguento pie confessionis linivit, et quia multum dilexit, multorum veniam peccatorum a pio iudice promeruit. Nunc vero iustificata et familiaris effecta Domino, non tantum pedes eius (ut idem Ioannes nartrat) verum etiam caput (ut Matthaeus Marcusque perhibent) oleo sancto perfudit. Est autem alabastrum genus marmoris candidi, variisque maculis intertincti, quod ad vasa unguentaria cavari solet, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur. Nascitur circa Thebas Aegyptias et Damascum Syriae ceteris candidius, probatissimum vero in India. Nardus vero est frutex aromatica, gravi (ut aiunt) et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui, sinum redolen-

te, aut cypressum, aspero sapore, folio parvo densoque, cuius cacumina in aristas se spargunt. Ideoque gemina dote pigmentarii nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod ait Marcus: *Unguenti nardi spicati pretiosi*. Quia videlicet unguentum illud quod attulit Maria Domino, non solum de radice confectum nardi, verumetiam, quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum eius adiectione odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt autem de nardo physiologi, quod principalis sit in unguentis. Unde merito unctioni capitis et pedum Domini oblata est. Sunt quidem multa eius genera, sed omnia hebetiora praeter Indicum, quod pretiosius est. Mystice autem devotio haec Mariae Domino ministrantis fidem ac pietatem designat Ecclesiae sanctae, quae loquitur in amoris cantico dicens: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Quae nimirum verba, et semel iuxta litteram manibus Mariae complevit, et quotidie in omnibus suis membris spiritualiter implere non desinit, quae toto diffusa orbe gloriantur, et dicunt: *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu, et odore notitiae suae manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus Deo*. Quae cum potentiam divinae virtutis eius, quae illi una cum Patre est, digna reverentia confitetur, laudat, et praedicat, caput profecto illius unguento perfudit pretioso. Cum vero assumptae mysteria humanitatis aeque digna reverentia suscipit, in pedes utique Domini unguentum nardi pisticum, id est, fidele ac verum perfundit, quia illam eius naturam qua terram contingere, hoc est, inter homines conversari dignatus est, pia praedicatione commendat, ac devotis veneratur obsequiis.

Erant autem quidam indigne feretes in-

tra semetipsos, et dicentes: *Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis et dari pauperibus.* Marcus quoque haec, quomodo et Matthaeus, synecdochicos loquitur, pluralem videlicet numerum pro singulari ponens. Nam Ioannes distinctius loquens, Iudam haec locutum esse testatur. Et hoc gratia cupiditatis, eo quod fur fuisset, et oculos habens ea quae mittebantur, portaret. Potest etiam intelligi quod et alii discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Iuda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthaeus et Marcus etiam verbis expresserint, sed de Iuda propterea dixit, *quia fur erat, lactari vero propter pauperum curam.* Ioannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intendantam. Quod vero sequitur.

2730 *Et fremebant in eam.* Nequaquam de bonis ac diligentibus Christum Apostolis dictum crediderim; sed de illo potius sub numero plurali, qui nec Domino nec discipulis eius fideliter adhaesisset, neque pauperum curam habuisse probatus est.

2731 *Iesus autem dixit: Simile illam. Quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habebitis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis.* Alia oboritur quaestio, quare Iesus post resurrectionem dixerit ad discipulos: *Eccce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi;* et nunc loquitur: *Me autem non semper habebitis.* Sed mihi videtur in hoc loco de praesentia dicere corporali: quia nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu et familiaritate. Cuius rei memor Apostolus ait: *Et si noveramus Iesum Christum se-*

cundum carnem, sed nunc iam non novimus eum.

2732 *Quod habuit, hoc fecit: praevenit ungeri corpus meum in sepulcrum.* Quod vos putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturae est. Nec mirum, si mihi bonum odorem suae fidei dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum.

2733 *Amen dico vobis, ubicunque praedictum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec narrabitur in memoriam eius.* Attende notitiam futurorum, quod passurus post dies paucos, sciat Evangelium suum toto orbe celebrandum. Notandum autem, quod sicut Maria gloriam adeptam est toto orbe, quocumque Ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod Domino piac devotionis exhibuit, ita e contrario ille qui obsequio eius detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiae nota longe lateque infamatus, et Deo simul atque hominibus merito factus est exosus. Sed Dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo praeteriit.

2734 *Et Iudas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.* Infelix Iudas, damnus quod ex effusione unguenti se fecisse credebatur, vult magistri pretio compensare, nec certam iam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate eminentium posuit, quantum vellent dare. Quod autem dixit: *Abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis,* ostendit eum non a principibus invitatum, non ulla necessitate constrictum, sed sponte propria sceleratae mentis iniisse consilium.

2735 *Quod audientes gavisi sunt, et promiserunt ei pecuniam se duros. Et quaerebat quomodo illum opportune traderet.* Multi hodie Iudae scelus quod Dominum, ac magistrum Deumque suum pecunia

vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent. Nam cum pro mulieribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt. Ipse enim dixit: *Ego sum veritas.* Cum societatem fraternitatis aliqua discordiae peste commaculant, Dominum produnt, quia *Deus charitas est.* Qui ergo charitatis et veritatis iussa spernunt, Deum utique qui est charitas et veritas, produnt. Maxime cum non infirmitate, vel ignorantia peccant, sed in similitudinem Iudae quaerunt opportunitatem qualiter arbitriis absentibus, mendaciori veritatem, virtutem crimine mutent.

2736 *Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi comedere Pascha? Primum diem azymorum quartumdecimum mensis appellat, quando fermento abiecto Pascha immolare, id est, agnum occidere solebant ad vespem. Quod exponens Apostolus ait: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Qui licet die sequenti, hoc est quintadecima sit luna crucifixus, haec tamen nocte qua agnus immolabatur, et carnis sanguisque sui discipulis tradidit mysteria celebranda, et a Iudaeis tentus ac ligatus ipsius immolationis, hoc est passionis suae sacrificium exordium.

2737 *Et mittit duos ex discipulis suis et dicit eis: Ite in civitatem et occurret vobis homo lagenam aquae baiulans.* Indicium quidem praesciae divinitatis est, quia cum discipulis loquens quid alibi futurum sit novit. Pulchre autem paraturis Pascha discipulis, homo lagenam, sive iuxta alium Evangelistam, amphoram aquae baiulans occurrit, ut ostendatur huius Paschae mysterium pro ablutione perfecta mundi totius, esse celebrandum. Aqua quippe lavacrum gratiae, lagena fragilitatem de-

signat eorum, per quos eadem erat gratia mundo ministranda. Unde aiunt: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* Parant ergo Pascha discipuli ubi aquae infertur lagena, ut adesce tempus insinuet quo cultoribus veri Paschae typicus de limine ac postibus cruma auferatur, et ad tollenda mundi crimina vivifici fontis baptismata consecratur.

2738 *Sequimini eum, et quocumque introierit, dicite Domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducet?* Consulte tam aquae baiuli quam Domini domus, sunt praetermissa vocabula, ut omnibus verum Pascha celebrare volentibus, hoc est Christi Sacramentis imbuere, quae suae mentis hospitio suscipere quaerentibus, facultas danda signetur.

2739 *Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande stratum, et ibi parate vobis, etc.* Coenaculum magnum lex spiritalis est, quae de angustiis litterae egrediens, in sublimi loco recipit Salvatorem. Nam qui adhuc occidentem litteram servaverit, qui non aliud in agno quam pecus intellexerit, iste nimirum minus Pascha facit: quia maiestatem spiritus in verbis Dei comprehendere necdum didicit. At qui aquae baiulum, hoc est gratiae praecionem in domum Ecclesiae fuerit secutus, hic per spiritum illustrante superficiem litterae transcendendo in alto mentis solario Christo refecionem praeparat, quia cuncta vel Paschae sacramenta, vel cetera legis decreta, eius esse sacramenta cognoscit.

2740 *Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, et manducantibus ait Iesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum.* Qui de passione praedixerat, et de proditore praedicit, dans locum poenitentiae, et cum intellexisset sciri cogitationes suas, et occulta conscientiae

poeniteret cum facti sui. Et tamen non designat specialiter, ne manifeste coargutus impudentior fieret. Mittit crimen in numero, ut agat conscius poenitentiam.

2741 *At illi coeperunt contristari, et dicere ei singillatim: Numquid ego? Et certe noverant undecim Apostoli quod nihil tale contra Dominum cogitarent, sed plus crederent magistro quam sibi: et timentes fragilitatem suam, tristes interrogabant de peccato cuius conscientiam non habebant.*

2742 *Qui ait illis: Unus ex duodecim qui intingit necum manum in catino. O mira Domini potentia! Primum dixerat, unus ex vobis me tradet, perseverat proditor in malo, manifestius arguit, et tamen nomen proprie non designat. Iudas ceteris contristatis et retrahentibus manum, et interdicentibus cibos ori suo, temeritate et impudentia qua magistrum proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in catinum, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.*

2743 *Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: Vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Nec primo, nec secundo correptus a proditore retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et thesaurizat sibi iram in die irae. Poenam praedicit, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia. Sed et hodie quoque et in sempiternum vae illi homini qui ad mensam Domini malignis insidiis mente conditis, qui praecordiis aliquo scelere pollutis, mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Iudae Filium hominis tradit, non quidem Iudaeis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris videlicet suis, quibus illud inaeftimabile et inviolabile Dominici corporis ac*

sanguinis sacramentum temerare praesumit. Ille Deum vendit, qui eius timore atque amore neglecto, terrena pro illo et caduca, immo etiam criminosa, diligere et curare convincitur.

Bonum esset ei, si non esset natus homo ille. Non ideo putandum est ante fuisse quam nasceretur, quia nulli possit esse bene, nisi ei qui fuerit. Sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quam male subsistere.

Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. Finitis Paschae veteris solemnibus, quae in commemorationem antiquae de Aegypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum quod in suae redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, ut videlicet pro carne agni ac sanguine, sui corporis sanguinisque sacramentum substitueret, ipsumque se esse monstraret, Cui iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Frangit autem ipse panem quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non absque sua sponte ac procuratore venturam, sed sicut alibi dicit, potestatem se habere ponendi animam suam, et potestatem se habere iterum sumendi eam. Quem videlicet panem certi quoque gratia sacramenti, priusquam frangeret benedixit, quia naturam humanam quam passurus assumpsit, ipse una cum Patre et Spiritu sancto gratia divinae virtutis implevit. Benedixit panem et fregit, quia hominem assumptum ita morti subdere dignatus est, ut ei divinae immortalitatis veraciter inesse potentiam demonstraret, ideoque velocius eum a morte resuscitandum esse doceret.

Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Cum appropin-

quare passioni dicitur, accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagella alienae iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit, ut hinc videlicet ostendat, quod unusquisque in flagello culpae propriae facere debeat, si ipse aequanimitate flagella culpae portat alienae: ut hic ostendat quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus patri gratias agit aequales.

2747 *Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Quia panis corpus. confirmat, vinum vero sanguinem operatur in carne: hic ad corpus Christi mystice, illud referat ad sanguinem. Verum quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vino Dominici calicis aqua miscetur. Attestante enim Ioanne, aquae populi sunt. Et neque aquam solam, neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquae admixtione et confectioe in panem cupiam licet offerre, ne talis videlicet oblatio quasi caput a membris discernendum esse significet, et vel Christum sine nostrae redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari ac Patri offerri posse contingat. Quod autem dicit: Hic est sanguis meus novi testamenti, ad distinctionem respicit veteris testamenti, quod hircorum et vitulorum est sanguine dedicatum, dicente inter aspergendum legislatore: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Necessae est enim exemplaria quidem verorum his mundari: ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis: iuxta quod Apostolus per totam ad Hebraeos epistolam, inter legem distinguens et Evangelium, pulcherrima expositione ac plenaria ratione declarat.*

2748 *Amen dico vobis, quod iam non bibam*

de genuinely vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. Vitem sive vineam Domini appellatam esse Synagogam, et omnis sparsim Scriptura, et apertius testatur Isaias in cantico de illa cantato: Vineae, inquit, Domini Sabaoth, domus Israel est. De qua nimirum vinea Dominus multo tempore bibeat, quamvis pluribus ramis in amaritudinem vitis alienae conversis, quia tametsi multis in illa plebe exorbitantibus a recto fidei itinere, non defuere plurimi toto legis tempore, quorum piis cogitationibus summisque virtutibus delectaretur Deus. Verum passo in carne Domino ac resurgente a mortuis, tempus fuit ut legalis illa, et figuralis observatio cessaret, atque ea, quae secundum litteram gerebantur, in spirituale translati sensum, melius in novo testamento, iuvante sancti Spiritus gratia, tenerentur. Iturgo ad passionem Dominus ait: Iam non bibam de genuinely vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. Ac si aperte dicat, Non ultra carnalibus Synagogae caeremoniis delectabor, in quibus etiam ista paschalis agni sacra locum tenere praecipuum. Aderit enim tempus meae resurrectionis, aderit dies ille, cum ipse in regno Dei positus, id est, gloria vitae immortalis sublimatus, de salute eiusdem populi fonte gratiae spiritus regenerati, novo vobiscum gaudio perfundat.

2749 *Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. Hoc est, quod in Psalmo legitur: Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Potest autem hymnus etiam ille intelligi, quem Dominus secundum Ioannem Patri gratias agens decantabat, in quo et pro seipso, et pro discipulis, et pro eis, qui per verba eorum credituri erant, elevatis sursum oculis precabatur. Et pulchre discipulos sacramentis sui corporis ac san-*

guinis imbutos, et hymno pie intercessionis Patri commendatos, in montem educit Olivarum, ut typice designet nos per acceptionem sacramentorum suorum, perque opem suae intercessionis ad altiora virtutum dona et charismata sancti Spiritus, quibus in corde perungamur, ascendere debere.

2770 *Et ait eis Iesus: Omnes scandalizabimini in nocte ista. Praedicit quod passuri sunt, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes poenitentiam liberentur. Et signanter addidit, in nocte ista scandalizabimini. Quia quomodo, qui inebriantur, nocte inebriantur: sic et qui scandalum patiuntur, in nocte et in tenebris sustinent. Nos vero dicimus: Nox praeterit, dies autem appropinquavit.*

2751 *Quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves. Hoc alius verbis in Zacharia Propheta scriptum est, et nisi fallor, ex persona Prophetae ad Deum dicitur: Percute pastorem et dispergentur oves. Sexagesimo quoque octavo Psalmo, qui totus a Domino canitur, huic sensui congruente: Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt. Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis, et de multis gregibus erronum, fiat unus grex et unus pastor.*

2752 *Petrus autem ait ei: Et si omnes scandalizati fuerint; sed non ego. Non est temeritas nec mendacium, sed fides est Apostoli Petri, et ardens affectus erga Dominum Salvatorem.*

2753 *Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. Et Petrus de ardore fidei promittebat, et Salvator quasi Deus futura noverat. Et nota, quod Petrus in nocte neget, et neget tertio. Postquam autem gallus cecinit, et decreverat tenebris vicina lux nuntiata est, conversus flevit amare, ternae*

negationis sordes lacrymis lavans. Non est sane arbitrandum esse contrarium, quod Marco dicente: Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus: ceteri Evangelistae simpliciter dixerunt: Priusquam gallus cantet, ter me negabis.

Tota enim Petri negatio, trina negatio est. In eadem namque permansit negatione, animo propositoque mendacii, donec admonitus quid ei praedictum sit, amaro fletu et cordis dolore sanaretur. Haec autem tota, id est, trina negatio, si post primum galli cantum, inciperet, falsum dixisse viderentur tres, qui dixerunt, dixisse Dominum, quia antequam gallus cantaret, ter eum Petrus esset negaturus. Rursus si totam trinam negationem ante peregisset, quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona Domini: Amen dico tibi, quia tu in nocte hac priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es. Sed quia ante primum galli cantum coepta est illa trina negatio, attenderunt illi tres non quando eam completurus esset Petrus, sed quanta futura esset, quandoque coeptura, id est, quae trina ante galli cantum, quamquam in animo eius, et ante primum galli cantum tota possit intelligi. Quamvis enim verbis negantis ante primum coepta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio, tamen affectione animi et timore Petri ante primum tota concepta est. Nec interest, quantis morarum intervallis trina voce enuntiata sit, cum cor eius etiam ante primum galli cantum totam possideret, tam magna, scilicet, formidine imbibita, ut posset Dominum, non solum semel, sed iterum et tertio interrogatus negare, ut rectius diligentiusque attendentibus, quomodo iam moechatus est mulierem in corde suo, qui eam viderit ad concupiscendum: sic Petrus, quodcumque verbis ederet

timorem, quem tam vehementem animo conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei temporis deputanda est, quando eum trinae negationi sufficiens timor invasit.

2754 *Et veniunt in praedium cui nomen Gethsemani, Monstratur usque hodie locus Gethsemani, in quo Dominus oravit, ad radices montis Oliveti, nunc Ecclesia desuper aedificata. Interpretatur autem Gethsemani vallis pinguium sive pinguedinum. Quod vero non solum dicta vel opera nostri Salvatoris, verum etiam loca et tempora, in quibus operatur, et loquitur, mysticis (ut saepe dictum est) sint plena figuris, cum in monte orat Dominus: quasi tacite nos admonet sublimia tantum orando inquiri, et pro coelestibus bonis supplicari debere. At cum in valle orat, et hoc in valle pinguium sive pinguedinis, ipsius aequae insinuat nobis humilitatem semper in orationibus, et internae pinguedine dilectionis esse servandam, ne quis videlicet orans Deum, lactare sua merita in exemplum Pharisaei superbientis audeat, quin potius humili voce ac mente proclamet: Deus propitius esto mihi peccatori. Ne aridum a dilectione proximi cor gestans, ad placandam sibi conditoris gratiam genuflectat, iuxta eum qui centum denarios fratri, quos sibi debebat, dimittere nolens, decem millia talenta sibi a domino frustra precabatur remitti. Ne ieiunium ab amore conditoris pectus habens, temporalia quaelibet potius in oratione quam eius visionem requirat, adnumerandus in eis, de quibus ait ipse: Quia receperunt mercedem suam. In imo quippe cogitationem ponere, quid est aliud quam quaedam ariditas mentis? Qui autem intellectu coelestium iam per sancta desideria de supernis intimae delectationis cibo pascuntur, quasi lar-*

giori alimento pinguescunt. Haec enim pinguedine saginari Psalmista concupierat, cum dicebat: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Quantum vero ad ipsam Dominicae passionis dispensationem pertinet, apte approprians mortis Domini, in valle pinguedinis oravit, quia per vallem humilitatis et pinguedinem charitatis pro nobis mortem subiit. Humiliavit enim semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem. Et maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

2755 *Et assumit Petrum, et Iacobum, et Ioannem secum, et coepit pavere et taedere; et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Timet Christus, cum Petrus non timeat. Christus timet; Petrus dicit, Animam meam pro te ponam. Christus dicit: Anima mea turbatur. Utrumque verum est, et plenum utrumque ratione. Quia et ille qui est inferior, non timet, et ille qui est superior, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo vim mortis ignorat. Iste autem quasi Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit, ut eorum, qui sacramentum Incarnationis abiurant, excluderetur impietas. Denique et hoc dixit, et Manichaeus non credidit, Valentinus negavit, Marcion phantasma iudicavit. Eo autem usque hominem, quem veritate corporis demonstrabat, aequabat affectu, ut diceret: Sed lamam non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confiterentur tristitiam nomino, qui crucein praedico. Mea est voluntas, quam suam dixit. Quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est. Et ideo ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret. Et sequestrata delectatione Divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis*

afficitur. *Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem.* Non propter mortem tristis est Dominus, quia cum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quae corporis sunt ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. Divinitas autem commutari per os nescit affectus.

2756 *Sustinete hic et vigilate. Et cum processisset paululum prociidit super terram.* Quod praecipit, *Sustinete hic et vigilate*, non a somno prohibet, cuius tempus non erat imminente discrimine, sed a somno infidelitatis et torpore mentis. Dato autem eis praecepto, ut sustinerent vigilarentque secum, paululum procedens ruit in faciem suam, et humilitatem mentis habitu carnis ostendit.

2757 *Et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora, et dixit: Abba, etc.* Quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostrae? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte; sed habeant rectum cor, vident mortem quantum possint; sed si non possunt, dicant quod ipse Dominus non propter se, sed propter nos dixit. Quid enim dixit? *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste.* Ecce habes voluntatem humanam expressam. Vide iam rectum cor.

2758 *Sed non quod ego volo, sed quod tu.* Non veni, inquit, *facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Suam voluntatem dixit, quam temporaliter sumpsit ex Virgine; voluntatem vero eius, qui eum misit, eam videlicet signans, quam intemporaliter aeternus habuit cum Patre communem. Orat transire calicem, ut ostendat vere, quod et homo erat. Reminiscens autem et propter quod missus est, perficit dispensationem, ad quam missus est, et clamat: *Sed non quod ego volo, sed quod tu.* Si moritur mors, me non moriente, secun-

dum carnem videlicet, transeat, ait, calix iste. Verum quia non aliter hoc fiet, ait: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Quod autem Patrem invocans duplici nomine dicit: *Abba, Pater*, utriusque populi illum, et Iudaei, scilicet, et Gentilis, Deum esse ac Salvatorem ostendit. Item namque *Abba* quod et *Pater* significat; sed *Abba* hebraeum, *Pater* graecum est et latinum. Ut ergo utrumque populum in eum crediturum, ab utroque eum invocandum esse doceret, utraque lingua cum, primus ipse invocatur; ipse est enim bonus Pastor, qui animam dando pro ovibus suis, unum de duobus gregibus ovile perficit. Ideoque utriusque voce gregis auxilium Patris flagitat, ut nos utriusque exemplo illius informati, ubi adversa imminere senserimus, nos Patrem Deum, Hebraei *Abba* invocantes, una fidei et charitatis devotione praesidium coeleste quaeramus. Unde Doctor egregius formam docendi a Domino sumens, ita suos alloquitur auditores: *Acceptistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* *Abba* nimirum illi, quid israelitico populo, nos *Pater*, qui de genitibus ad fidem Christi venimus.

2759 *Et veniens invenit eos dormientes, et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti una hora vigilare? Ille qui supra dixerat: Etiam si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor, nunc tristitiae magnitudine somnum vincere non potest.*

2760 *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Impossibile est humanam animam non tentari. Unde et in oratione Dominica dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*, quam ferre non possumus; non tentationem penitus refusantes: sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo et in praesentiarum non ait: *Vigilate et orate*, ne tentemini, sed, *ne intretis in tentationem.* Hoc est, ne tentatio vos superet ultima, et intra suos

casses teneat. Verbi gratia, Martyr, qui pro confessione Domini sanguinem fudit, tentatus quidem est; sed tentationis retibus non est ligatus; qui autem negat, in plagas tentationis incurrit.

2761 *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.* Hoc adversum temerarios dictum est: quidquid crediderint, putant se posse consequi; itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus, sed tamen iuxta Apostolorum spiritu carnis opera mortificemus. Facit hic locus et adversus Eutythianos, qui dicunt, unam in mediatore Dei et hominum Domino ac Salvatore nostro operationem, unam fuisse voluntatem. Cum enim dicit: *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma*, duas voluntates ostendit: humanam videlicet, quae est carnis; et Divinam, quae est Deitatis. Ubi humana quidem propter infirmitatem carnis recusat passionem. Divina autem eius est promptissima; quoniam formidare quidem in passione, humanae fragilitatis est. Suscipere autem dispensationem passionis, Divinae voluntatis atque virtutis est.

2762 *Et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens, et reversus denuo, invenit eos dormientes.* Solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur pro universis. Languescabant autem et opprimebantur Apostolorum oculi, negatione vicina.

2763 *Et venit tertio et ait illis: Dormite iam et requiescite: sufficit, etc.* Cum dixisset: *Dormite iam et requiescite*, et adiungeret: *Sufficit*, ac deinde inferret: *Venit hora, ecce tradetur Filius hominis*, etc., utique intelligitur post illud, quod eis dictum est: *Dormite et requiescite*, siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret, quod praemiserat, et tunc intulisse: *Ecce appropinquat hora, sive venit hora.* Ideo post illa verba positum est, *sufficit*, id est, quod

requievistis iam sufficit; sed quia commemorata ipsa non est interpositio silentii Domini, propterea coarctat intellectum, ut in illis verbis alia pronuntiatio requiratur.

2764 *Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.* Postquam tertio oraverat, et Apostolorum timorem, sequente poenitentia imperaverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, et ultra se interficiendum praebet, dixitque discipulis: *Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.* Non nos inveniat quasi timentes et retractantes; vitro pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant.

2765 *Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, etc.* Impudens quidem et scelerata confidentia, Magistrum vocare, et osculum ei ingerere quem tradebat. Tamen adhuc aliquid habet de verecundia discipuli, cum non eum palam tradidit persecutoribus, sed per signum osculi. Suscepit autem Dominus osculum traditoris, non quo simulare nos doceat, sed ne proditorem fugere videatur, simul et illud Davidicum complens: *Cum his, qui oderant pacem eram pacificus.*

2766 *Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam.* Petrus hoc fecit, ut Ioannes Evangelista declarat, eodem nimirum mentis ardore, quo cetera fecerat. Sciebat enim, quomodo Fines puniendo sacrilegos, mercedem iustitiae sacerdoti perennis acceperat. Lucas autem addit, quod Dominus tangens auriculam servi, sanaverit eum. Numquam ergo pietatis suae Dominus obliviscitur, qui etiam hostes suos non patitur vulnerari. Illi iusto mortem inferunt, ipse persecutorum vulnera sanat. Mystice docens etiam eos, quia in suae mortis consensione vulnus

animae contraxerant, si fructum poenitentiae facerent dignum, salutem posse mereri.

2767 *Et respondens Iesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me, etc. Stultum est, inquit, eum cum gladiis et fustibus quaerere, qui ultro se vestris tradat manibus; et in nocte quasi latitantem, et vestros oculos declinantem, per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat; sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.*

2768 *Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Impletur sermo Domini quem dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Nam etsi turba permittente ad petitionem Domini fugerunt, ut Ioannes scribit, pavorem tamen ac timiditatem suae mentis ostendebant, quod ad fugae praesidium promptiores, quam ad fiduciam patendi cum Christo extiterant.*

2769 *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, et ternerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis. Quod ait amictus sindone super nudo, subauditur corpore, id est, corpore super nudo, quia non aliud indumenti quam solam habebat sindonem. Quis autem fuerit iste adolescens, Evangelista non dicit. Quisquis vero fuit, maiorem in se quam in ceteris amorem Domini permansisse comprobatur, qui illis iam fugientibus, ipse donec ab hostibus comprehenderetur, vinculo charitatis adstrictus cum prosequi non amisit. Quamvis necdum perfectam habuerit charitatem, qui a comitatu Salvatoris vel tentus profugere potuit. Quia sicut perfecta charitas foras mittit timorem, ita timor mentem obsidens, imperfectam arguit charitatem.*

2770 *Sed notandum solertius quod de hoc*

adolescente scribens Evangelista, non ait, quia fugit a comitatu, vel fugit a sequendo Dominum; sed *reiecit*, inquit, *sindone, nudus profugit ab eis*. Fugit enim ab hostibus, quorum et praesentiam detestabatur et facta: non fugit a Domino Salvatore ac Magistro suo, cuius amorem etiam corpore absens fixum in corde servavit. Neque aliquid vetat intelligi Ioannem hunc fuisse adolescentem, dilectum praeter ceteris magistro discipulum. Nam et illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post haec in carne vita eius indicio est. Potuit enim fieri ut ad horam tenentium manibus elapsus, mox resumpto indumento redierit, et sub dubia noctis luce sese turbiducientium Iesum, quasi unus de ipsis immiscerit, donec ad atrium pontificis qui erat notus perveniret; iuxta quod in suo ipse Evangelio commemorat. Sicut autem Petrus qui culpam negationis poenitentiae lacrymis abluit et confessione Domini amoris funditus extirpavit, recuperationem ostendit eorum qui in martyrio labuntur: ita ceteri discipuli qui articulum comprehensionis fugiendo praeveniant, cautelam fugiendi docent eos, qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt. Quibus tutius est multo, praesidia latebrarum petere, quam se discrimini certaminum exponere. Ita etiam iste adolescens qui reiecit sindone nudus profugit ab impiis, illorum et opus designat et animum, qui ut superiores ab incuris hostium fiant, quidquid in hoc mundo possidere videntur abiciunt, ac nudi potius Domino famulari, quam adhaerendo mundi rebus materiam tentandi atque a Deo revocandi adversarii dare dixerunt; iuxta exemplum beati Ioseph qui relicto in manibus adulterae pallio foras exilivit, malens Deo nudus, quam indutus cupiditatis mundi meretrici servire.

2771 *Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem. Summum sacerdotem Caiphan significat, qui (sicut Evangelista Ioannes scribit) erat pontifex anni illius. De quo consentanea testatur Iosephus, quia pontificatus sibi absque merito dignitatis emerit a principe romano. Non ergo mirum est si iniquus pontifex inique iudicat.*

2772 *Petrus autem a longe secutus est, etc. Merito a longe sequebatur, qui iam proxime erat negaturus. Neque enim negare posset, si Christo proximus adhaesisset. Verum in hoc maxima nobis est admiratione venerandus, quia Dominum non reliquit etiam cum timeret. Quod enim timet, naturae est; quod sequitur, devotionis, quod negat, obreptionis, quod poenitet, fidei. Aliter: quod ad passionem eundem Dominum a longe sequitur Petrus, significabat Ecclesiam secuturam, quidem, hoc est imitaturam passionem Domini, sed longe differenter; Ecclesia enim pro se patitur. At ille pro Ecclesia.*

2773 *Et sedebat cum ministris, et calefaciebat se ad ignem. Est dilectionis ignis, est et cupiditatis. De hoc dicitur: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? De illo autem: Omnes adulterantes, velut clibanus corda eorum. Iste super credentes in coenaculo Sion descendens, variis linguis eos Deum laudare docuit. Ille in atrio Caiphae instinctu maligni spiritus accensus, ad negandum ac blasphemandum Dominum noxias perfidorum linguas arabat. Quod enim intus in domo principis sacerdotum synodus maligna gerebat: hoc ignis in atrio foris inter frigora noctis materialiter accensus, typice praemonstrabat. Quicumque ergo vitiosum noxiumque in se extinguit incendium, potest dicere cum Propheta Domino: Quia factus sum sicut uler in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus. In quibuscumque autem flam-*

mam charitatis turbida vitiorum flumina obruerunt, audiunt a Domino: Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Quo frigore torpens ad horam Apostolus Petrus, quasi prunis ministrorum Caiphae caleferi cupiebat, quia temporalis commodi solatium, perfidorum societate quaerebat. Sed non mora, respectus a Domino cum ignem pravorum corpore, tum infidelitatem in corde reliquit. Ac post resurrectionem Domini sancto igni recreatus, funditus excessum trinae negationis, trina dilectionis confessione purgavit. Tunc etenim completa illa memorabilis piscium captura, cum venisset ad Dominum cum condiscipulis suis; et piscem superpositum et panem mox videns, sui cordis arcana prunis inflammavit amoris.

2774 *Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversum eum dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et post triduum aliud non manu factum aedificabo. Quomodo falsi testes sunt; si ea dicunt quae Dominum dixisse legimus? Sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui. Sed et in ipsis verbis calumniantur, et paucis additis vel mutatis, quasi iustam calumniam faciunt. Salvator dixerat: Solvite templum hoc. Isti commutant et aiunt: Ego dissolvam templum hoc manifestum. Vos, inquit, solvite, non ego, quia illicitum est ut ipsi nobis inferamus mortem. Deinde illi vertunt, et post triduum aliud non manu factum aedificabo, ut proprie de templo laudico dixisse videatur. Dominus autem ut ostenderet animal vivum et spirans templum, dixerat: Et ego in triduo suscitabo illud. Aliud est aedificare, aliud suscitare.*

2775 *Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Iesum, dicens: Non re-*

spondes quidquam ad ea quae tibi obiciuntur ab his? Ille autem tacebat, et nihil respondit. Ira praeceps et impatientis non inveniens calumniae locum, excutit de solio pontificem, ut insaniam mentis, motu corporis demonstraret. Quanto plus lesus tacebat ad indignos responsione sua falsos testes et sacerdotes impios; tanto magis pontifex furore superatus, cum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione, sermonis locum inveniat accusandi, Nihilominus Iesus tacet. Sciebat enim quasi Deus, quidquid responderet, torquendum ad calumniam.

2776 *Rursus summus sacerdos interrogabat eum, et dicit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum.* In Matthaeo scriptum est, quod interroganti et adiuranti se pontifici, si esset Christus, respondit: *Tu dixisti.* Pro quo Marcus posuit: *Ego sum*, ut videlicet ostenderet tantum valere, quod ei dicit Iesus: *Tu dixisti*; quantum si diceret: *Ego sum.*

2777 *Et videbitis Filium hominis a dextris sedentem virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli.* Si ergo tibi in Christo, o Iudaeae, pagane, et haereticæ, contemptus, infirmitas, et crux contumelia est, vide, quia per haec Filius hominis ad dexteram Dei Patris sessurus, et ex partu Virginis homo natus, in sua coeli cum nubibus est maiestate venturus. Unde et Apostolus cum crucis abiecta descripsisset, dicens quod humiliavit seipsum factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis, adiunxit atque ait: *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

2778 *Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. Quam de*

solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes provocat. Scindit vestimenta sua, ut ostendat Iudaeos sacerdotalem gloriam perdidisse, et vacuum sedem habere pontificis. Sed et consuetudinis Iudaicae est, cum aliquid blasphemiae et quasi contra Deum audierint, scindere vestimenta sua. Quod Paulum quoque et Barnabam quando in Lycaonia deorum cultu honorabantur, fecisse legimus. Herodes autem quia non dedit honorem Deo, sed acquievit immoderato favori populi, statim ab angelo percussus est. Altiore autem mysterio factum est, ut in passione Domini pontifex Iudaeorum sua ipse vestimenta disciderit, cum tunica Domini, nec ab ipsis qui eum crucifigere militibus scindi potuerit. Figurabatur enim quod sacerdotium Iudaeorum pro scelere ipsorum pontificum esset scindendum, et a sua statu integritatis omnimodis solvendum; soliditas vero sanctae universalis Ecclesiae, quae vestis sui Redemptoris solet appellari, nunquam valeat dirumpi. Quin potius et si Iudaei, si Gentiles, si Haeretici, si mali Catholici humilitatem Domini Salvatoris contemnant, eius tamen usque ad con summationem saeculi, in illis quos foris electionis invenerit, inviolata sit permansura castitas.

2779 *Et coeperunt quidam conspuere eum et velare faciem eius, et colaphis eum cadere et dicere ei: Prophetiza. Et ministri alapis eum caedebant.* Impleta est hoc loco propheta quae ait: *Dedi maxillas meas alapis, et faciem meam non averti a confusione sputorum*; sed qui tunc caesus est colaphis sive alapis Iudaeorum, caeditur etiam nunc blasphemis falsorum Christianorum. Qui tunc consputus est salivis infidelium, nunc usque vesanis nomine tenus fidelium exhonatur atque irritatur opprobriis. Velaverunt

autem faciem eius, non ut eorum ille scclera non videat, sed ut a seipsis, sicut quondam Moysi fecerunt, gratiam cogitationibus eius abscondant. Si enim crederent Moysi, crederent forsitan et Domino. Quod velamentum usque hodie manet super cor eorum non revelatum. Nobis autem in Christum credentibus ablatum est. Neque enim frustra eo moriente velum templi scissum est medium, et ea quae toto legis tempore latuerant, et abscondita carnali Israel fuerant, Novi Testamenti cultoribus sunt patefacta sancta sanctorum arcana. Quod vero dicitur ei: *Prophetiza, et iuxta alios Evangelistas: Prophetiza quis est qui te percussit*; quasi in contumeliam faciunt eius, qui se a populis prophetam voluerit haberi; sed ipso dispensante quae patitur, omnia pro nobis fiunt, sicut Petrus hortatur. Christo in carne passo nos eadem cogitatione armemur, atque ad toleranda pro nomine eius irrisionum opprobria praeparemur.

2780 *Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras? etc.* Quid sibi vult quod prima cum prodit ancilla, cum viri utique magis eum potuerint recognoscere? nisi ut et iste sexus peccasse in necem Domini videretur, et iste sexus redimeretur per Domini passionem. Et ideo mulier resurrectionis accipit prima mysterium, et mandata custodit ut veterem praevagationis aboleret errorem.

2781 *Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.* De hoc galli cantu ceteri Evangelistae tacent, non tamen factum esse negant, sicut et multa alia alii silentio praetererunt quae alii narrant.

2782 *Rursus autem cum vidisset illum ancilla coepit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est. At ille iterum negavit.*

Non haec eadem quae prius accusabat, illa esse credenda est. Dicit namque Matthaeus apertissime: *Execute illo ianua, vidit eum alia, et ait tuis qui erant tibi, etc.* In hac autem negatione Petri discimus, non solum abnegari Christum ab eo qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse Christianum. Dominus autem non ait Petro, discipulum meum te negabis, sed *me negabis*. Negavit ergo ipsum, cum se negavit eius esse discipulum.

2783 *Et post pusillum, rursus qui adstant dicebant Petro: Vere tu ex illis es. Nam et Galilaeus es.* Non quod alia lingua Galilaei quam Ierosolymitae loquerentur, qui utriusque fuerint Hebraei, sed quod unaquaque provincia et regio suas habeat proprietates, ac vernaculum loquendi sonum vitare non possit; unde in Actibus Apostolorum, cum ii quibus Spiritus sanctus in seaderat, omnium gentium linguis loquerentur, inter alios qui de diversis mundi plagis advennerant, etiam illi qui habitabant Iudaeam dixisse referuntur: *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unumquemque linguam nostram in qua nati sumus?* Et Petrus fratribus loquens in Ierusalem: *Et notum, inquit, factum est omnibus habitantibus in Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach.* Quare lingua eorum, nisi quia idem nomen aliter illi, hoc est Ierosolymae, aliter sonabant Galilaei?

2784 *Ille autem coepit anathematizare, et iurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim iterum gallus cantavit.* Solum Scriptura sacramentum causarum per statum designare temporum. Unde Petrus qui media nocte negavit, ad galli cantum poenitit. Qui etiam post resurrectionem Domini diurna sub luce illum quem tertio negaverat, tertio aequae se